


rische weise gethan / die ihn hatten aufgenommen / eben wie der Man / der die erfrore Sch/ange auffdaure und wärmere.

Welche wohl meynende rechtschaffene Holländer hätt nicht ein Grauel an solchen abscheulichen Käseren? Wir wollen Gott bitten / daß diese unversehrt und plötzliche Veränderung zu unserer Besserung / zur Ausbreitung der Ehre Gottes / und Erhaltung unserer wahren Reformaten Religion und Freiheit möge gereichen; Auch wünschen wir Herzlich / d. s. ein jedweder sich von Herzen möge zu Gott bekehren / auff daß die angefangene Regierung Seiner Hohen / des Prunks von Drauten / möge gereichen zu Erhaltung unser theuer-erkaufften / und fast gänglich verlohrenen Freiheit.

Die kummertichen und allerley plötzlichen Zufälle sind Ursach / daß dieses nicht Ordentlich und besser angesehen worden; Doch bey einem Verständigen hat man nicht viel Wort von nöthen.



iii.

Sinceri Germani  
**EPISTOLA,**

ad  
Ludovicum Seldenum,  
conscripta:  
quâ Belli Gallo Belgici momenta  
expenduntur.

Sincerus Germanus  
Ludovico Seideno suo  
S. D. P.

**D**Um silentium meum propè annum frequentibus literis purgare apud Te cogito, & tamen diem è die expecto, spes vacui temporis, non modò ut commodius, sed etiam ut uberiùs possem scribere, fecit, ut anteverteret humanitas tua, quam ego pari doctrinà conjunctam in amore semper habui. At epistola tua, quã mihi jucundiùs nihil accidere potuisset, non nihil tamen mihi iniecit sollicitudinis, fecitque, quod ego accidere potuisse nunquam credideram, ut dubius aliquandiu hæsevum, moremne tuo desiderio gererem, an amicã ac prudenti declinatione illud eluderem. Ais: perculisse aures mentesque vestras feralis belli turbas, quibus passim Belgium affligitur, & cum otium, in quò vivis, non permittat, ut rationes, ac momenta horum motuum aliunde curiosã indagatione perquiras, ex me, pro vetere, quæ Nos inter est, necessitudine, scire cupis: quæ origo, quæ causæ hujus belli, unde tantæ Belgio fœderato non ita pridem florentissimo clades ac calamitates, quæ circa hanc rerum conversionem reliquis Regibus, Principibus, Rebuspub. mens esse possit: quidnam Orbi Christiano inde sperandum aut metuendum? Majora hæc ferè sunt viribus meis, sanè pleraque non nisi ex eventu dijudicari possunt. Spectant enim ad arcana & abdita Dominationis, quæ ut curiosè involvi ac obtegi solent, ita scrutari illa semper arduum, ac anceps, sæpe etiam periculosum fuit. Sed ut sollicitus amor est, malui privatim apud te familiaritatis jure errare quàm committere ut ambiguã excusatione fides erga te mea in dubium vocari posset.

Causas hujus belli haud abs re perquiris, mi Ludovice, cum de iis celandis magis, quam exponendis, solliciti fuerint Galli. Invaluit hæctenus apud moratiores passim Gentes, ip-

sò naturæ gentiumque jure svadente, ut is, qui bellò alterum aggredi destinat, reliquos de justitiã ejusdem, causis accuratè expositis, edoceat. Quod aded plerisque usurpatum videmus, ut iniquis etiam coeptis æquum tamen prætextum querere, & causas sic non justas, saltèm justì colore tinctas proferre laboraverint quasi verecundiam naturæ afficeret, injustè destinata absque fucò in hanc mundi scenam producere. Et sanè cum ultimum malorum sit bellum, & quod reverà ad destructionem humani generis tendat, interest societatis civilis, illud non leviter aut quasi fortuitò suscipi. Omnia priùs experiri sapientem decet, quam armis, quæ ut plurimum neq; parari possunt, neq; haberi per bonas artes: Aded ut barbaræ ac ferinæ immanitatis ab omni ævò damnati fuerint illi, qui ad arma armorum libidine provolarunt; & quibus

pro fœdere, proque  
justitiã est ensis:

quæriturque belli exitus, non causa. Nec Gallis, cultissimæ Genti, hic mos ignoratus: Certè cum non ita pridem Provincias Belgii, quas Hispani possident, sui juris reddere decrevissent, non dubitarunt integros libros morale ac rerum varietate satis diffusos, pro jure Reginæ, & justitiã armorum inde deductã, conscribere. At fortè Belgæ Fœderati fuère indigni, pro quibus is labor susciperetur. In belli quidem denunciatione, quæ typis vulgata, injuriã se à Belgis affectum Rex Christianissus prodit. Idem Ministri Gallici ad externos missi Principes propalarunt, Belgasque uti violatæ gloriæ ac dignitatis Regiæ reos accusarunt. Sed de modo ac ratione læsionis alium silentium. Unum patet, quod fortè huc trahi posset, prohibitio scil. quarundam mercium Gallicarum in Belgio, quã commerciorum jura violata videri possent. Sed eam necessitate expressam, & in licito retorsionis jure fundatam causantur Belgæ ob violatas à Gallis fœderis Anno 1661. initi leges, quibus commerciorum atque ex-

actionum ratio inter utramque gentem stabilita. Ego quidem neutri partium addictus, odiumque & gratiam procul habens, de justitia harum causarum non disputabo, aliorum esto iudicium, ad iustificas, an ad iuasorias an ad neutras referri debeant; id saltem monebo, quod nec tu, Amice, ignorare potes, fecisse Belgas id, quod jus Gentium simili in casu requirit. Nimirum obtulerunt ante bellum coeptum Regi Christianissimo æquam injuriarum reparationem, quas factas sibi docere posset; adeoque bellum, epistolâ submissâ conscriptâ, quasi deprecati sunt. Sed ne quidem auditos esse constat: Adeo ut tanti Regis, famam ac dignitatem, cuius sanè is prodigus haud est, lædere videantur illi, qui hos quales quales prætextus ipsi suffecisse asserunt ad bellum tantæ molis, tantorumque sumptuum suscipiendum. Sagaciores, & quibus ad abdita rimanda oculi solus perspicaciores, veram huius belli causam ex alio longè deducunt fonte, & quidem ex arcandâ istâ Hetrusci Politici, quo Principibus suggeritur, illos quos consiliis ac cæptis suis adversaturos sciunt, omni ratione evertere, ut iis sublatis in offensâ pede progredi, & quò tendunt, pervenire queant. Intererat Galliæ, Belgarum statum convelli, eosque opprimi, quos perpetui obicis ac scopuli instar futuros prævidebat, ad quem vasta, quæ meditatur, consilia, & ingentis operis destinata frangerentur. Rem haud multum à verò abhorre perpendenti ea quæ paucis abhinc annis gesta facilè patebit. Quam arctò olim foedere Galli Batavique invicem per integrum ferè seculum connexi fuerint, nemo est, qui ignorat. Diceres unam utriusque Genti fuisse mentem, eadem consilia, easdem manus, quibus imminentem libertati utriusque Hispanorum potentiam reprimerent. Gallus pecuniam, comæatum, arma suppeditabat, Belgæ vires, homines sanguinem: Et ut negari non potest, Gallos multum contulisse ad Belgarum libertatem ac magnitudinem, quâ hæcenus inclaruerunt: ita etiam certum est, Belgas

Belgas litavisse sanguine suo Gallorum commodis, gladiumque Gallorum cervicibus destinatum in propria recepisse viscera, adeo ut utilitas in de redundas reciproca fuerit. Sed habent odia ac amicitia Gentium, ut pleræque omnes res, suas vicissitudines, nec quicquam stabile aut firmum in hac rerum natura. Ita ferè accidit, ut plerique Principes ac Respublicæ omnia ex utilitate ac securitate suâ metiantur; ad quas, ceu ad lapides angulares, quibus salutis compages innititur, omnia referunt, nec foedera, nec sanctissima fidei pignora, nec jus fasque ultra, quam illæ subint, ligant. Duravit mutua hæc Gallos inter & Belgas necessitudo quousque metus ab æmula atque prævalida Hispanorum potentia. At cum horum vires cladibus, defectione provinciarum, Æmulatorum machinationibus, imprimis verò internecio hoc Bello Belgico profus attrita essent, contra Gallorum indies crescerent, omnemque exederent modum, cum vasti ac supra cætera eminentis dominatus consilia quæ olim Hispani agitasse dicuntur, montes Pyrenæos transmigrasse, & in Gallia fixisse sedem viderentur, nec amplius, ut quondam, Hispani, sed Gallici nominis terror omnia completeret, tum demum pro mutata temporum sorte, etiam harum Gentium consilia, & status rationes, ut vocant, immutata. Belgæ verebatur Gallum, ut libertati ac opibus suis, modò auderet, insidiaturum, & ob id coercendum ne ulterius progrediretur; Gallus Belgam, ut molitionibus suis adversaturum, & ob id occupandum, tantòque incrementò ad reliqua viam sternendam ducebat. Id quod imprimis apparuit in belgò, quod non ita pridem Galli adversus Hispanos in Belgio susceperant. Nam cum ex subactò à Gallis Belgio Hispanico inevitabile sibi exitium imminere facile prospicerent Belgæ foederati, & præterea memores essent antiquissimi moniti: Gallum amicum habeas, non vicinum; omni nisu laborandum sibi duxerunt, ne destinata perficerent Galli, & sociatis cum Anglorum Rege, cuius etiam intererat,

vicinam potentiam tantâ accessione non augeri; consiliis effecerunt, ut in mediò victoriarum cursu gradum sistere Rex Christianissus cogere-  
tur. Hinc prima offensio, cujus sensus eò acrior, fuit, quò certiori spe Belgii Hispanici Provincias jam devoraverant Galli. Sed, immane, quantum illa creverit cum ad tuendas Pacis Aquisgranensis leges, & sui vicinorumque defensionem Belgæ Anglos Svecosque ad triplex istud foedus, cujus magnum quidem nomen, sed inane fuit, impellerent, aliosque Principes, ut ei accederent, sollicitarent. Quâ sanè in re, quamvis non minùs licitè quam prudenter egerint Belgæ, cum omnia consilia ad suam saltem vicinorumq; securitatem dirigerent, & ne luxuriantes, atq; ad aliorum exitum tendentes Gallorum conatus extra justæ orbitas continentis evagarentur. laborarent, ne quicquam verò ut vel glebam terræ Regi Christo eriperent, aut vel minimam ei inflorentissimo Regno suo molestiam facerent: tamen dici non potest, quam hæc vastum ipsius animum pupugerint, ut nihil priùs agendum sibi duxerit, quam molestos hos machinationum suarum Arbitros opprimere. Et ex hoc fonte vera ni fallor hujus belli causa derivari potest, cui accessit spes certi successus ex prodicione illorum, quos inter Belgas turpi mercede sibi conciliaverant Galli: & ex genio populi, mercaturæ studio, rei nauticæ ac opificio dediti, belli quod terrâ geritur ac rerum militarium rudis; tum & stimulus ingentis emolumentum ex divictis florentissimis his provinciis, situ, opibus, omni- que rerum abundantia cuius Regno præferendis: quarum accessione aucti facilè omnia, quæcunque spem ac aviditatem mortalium accendere possunt, consequuturos, se sperabant. Sed videamus obiter quibus artibus rem destinatam perfecerint:

Quâ certè in re felicem Regis Christianissimi genium cum pari prudentiâ ac sagacitate conjunctum, haud satis mirari licet, certè posteritas stupebit. Prævidebant facilè Galli, quamdiu triplici isto foedere ligati tenerentur, Angli, Sveci, Belgæq;  
nil

3 Gal.  
nil quicquam magni momenti gerere se posse: Hoc igitur prius dissolvendum erat, & arma, quæ in perniciem ipsorum destinata, in hostium convertenda jugulum. Vetus est dictum Cum uno ex tribus hostibus pacem, cum altero inducias pangendas, cum tertio bellum gerendum. Hoc egregiè observatum Gallis: Anglos prius aggrediuntur, in quibus scilicet maximum momentum erat ob vires eorum maritimas, absque quibus frustra se oppugnaturus Gentem mari prævalentem conjiciebant. Persvadent ipsis: nunc demum venisse tempus, quo injurias ac clades à Belgis variè acceptas vindicare, quo Imperium Maris, quo commerciorum jura, & rerum maritarum arbitrium, qua spectat sol oriens & occidens, asserere possent. Et ne magnitudine periculi aut sumptuum deterrentur Angli, offerunt ultrò vires, arma, naves, pecuniam, qua classis prævalida parari posset. Nec voto eventus defuit; Oneratos his tantis promissis Anglos facilè in belli societatem perpulerunt. Haud paulò difficilior de Svecis victoria fuit. Verendum erat, ne Gens bello clara ad auxilia Belgis ferenda stimularetur, & ne hoc exemplo plures alii incitati arma pro defensione Belgii sociarent. Id ne fieret, nullis parcitur sumptibus, nullis disertissimorum hominum persuasionibus. Offerunt Svecis major pecuniæ vis, ut otiosi exitum hujus belli spectent, quam à Belgis ad arma paranda ac jungenda offerri potuisset: Et, in quo præcipuum negotiationis momentum, pertrahuntur ipsi, contra propria commoda ad foedus, cujus finis unicus, ut reliqui omnes Principes ab ope Belgis præstandâ ostentatione armorum Svecicorum deterrerentur. Porro cum expeditionis adversus Belgas facilior nulla videretur via, quam quâ per Rhenum, Vahalinque ac Isalam ad Intima Belgii transitur, eoque non nisi juvantibus Electore Coloniense & Episcopo Monasteriense perveniri possit, uterque in belli societatem adsciscitur; ingenti Galliarum lucro, non tantum ob harum Regionum situm, ad Belgas invaden-

dendos & arcenda, quæ fortè à Germaniâ acciri possent, auxilia percommodum, sed imprimis quod hac ratione Potentes in Germaniâ Principes, & ipsa Domus Bavarica. opibus ac auctoritate valens, causæ innecteretur suæ. Ad eandem suscipiendam Elector item Brand. nburgicus promissis sollicitatur ingentibus: sed is, cum bellò hóc non magis Belgio, quam Germaniæ jugum parari, quæ pollet sagacitate prævideat, ut est gloriæ ac libertatis retinentissimus, commoda privata publicæ rei constanter posthabuit. Daniæ Regem & Belgas inter, arctò hæctenus fœdere junctos, pomum Eridos emittere tentarunt Galli laudò quod ex arbitrio suscepto pronunciavit Rex eò tempore, quo jam bellum adversus Belgas decretum erat; ut mirum non sit, Belgas in tantam pecuniæ vim Danis damnatos, quæ scil. Galliæ commodis cessit, dum ad dissociandam utramque gentem antea junctissimam, & Belgas nummis exhauriendos impendi debebat. Reliquis omnibus Principibus, quorum intererat, Belgii statum non everti, persuasum; eam minimè mentem esse Regi Christo ut Belgii provincias occuparet, sed saltem ut gloriam à Belgis læsam digno aliquo facinore vindicaret. His ac similibus artificijs plerorumq; manibus arma excussa, certè id effectum, ut cum omnia primo impetu prosternere decrevisset, nemo vicinorum ad illum distinendum accedere posset. Deprehendes jam tandem, ni fallor, unde luctuosæ Belgio miserrimo calamitates. Nam quicquid habet terræ marique virium Gallia, Britannia, magna ex parte etiam Germania, in Belgas effusum est, & torrentis instar illos inundavit, imparatos ab omnibus rebus, & omni externo destitutos auxilio. Accessit proditoris nefas, nec enim minus consilio & pecuniâ, quam armis rem esse gestam constat. Aded verum est auro omnia venalia haberi, patriam, libertatem, & si quid utraque sanctius. Ultima clades fuit à discordia illorum, qui ad Reipub. clavum sedebant, & deniq; inscitia rei militaris, qua effectum, ut nec urbes munitissimæ

rebus ad sustinendam obsidionem necessariis instructæ essent, indeque nullo negotio occuparentur, nec militibus ob imbellem Præfectorum turbam pugnandi ardor aut studium.

Illud sanè constat, nunquam ab orbe terrarum condito tam potentem Rempub. omnibusque rebus & imprimis pecuniaervo belli abundantem, tam brevi temporis spatio eversam fuisse. Sed ad ultimum, idque præcipuum tuæ Epistolæ caput progredior, ubi quæris: quæ reliquis Principibus circa ingentem hanc rerum conversionem mens esse possit, quid illis inde spei aut metus. Spem sanè exinde nemo, quisquis sit, concipere potest, nisi falsò sibi ablandiri velit: Solis hic feritur Gallis, nec Anglus, nec Colonienfis, nec Monasterienfis, quorum tamen potius, sanguine victoria parta haud diutius eâ fruuntur, quam Gallis videbitur. Nam is leoninæ societatis finis esse solet, At metus ex subactò Belgio ad omnes omninò pertinet. Quisquis novit Gallorum consilia, opes, vires, & quam in immensum illæ vel unius è Belgicis Provinciis accessione, ob stupendum illarum situm, & ingentes opes auferentur, mecum profecto fatebitur, calcato Belgio viam sterni Gallis ad Orbis Christiani Imperium invadendum, sanè ad rerum Europæarum Arbitrium, quod affectant, occupandum. Nulli ampliùs limites, nulla claustra ambitionem illorum frænabunt. Reliqui Reges, Principes, Respub. precarium trahent spiritum, qui ex nutu ipsorum pendeat, cui si quis refragari ausit, continuò Lotharingæ Belgique fatum subire cogetur. Et certè quicquid ad invadendum Orbis Imperium desiderari possit, id Gallis adest. Copiis, viribus, armis, opibus, commeatu abundant: Consiliis, astu, sagacitate, quibus reliqua temperantur, prævalent: Gens ipsa bellis assæta, & gloriæ militaris avida; Imperii forma ad unius nutum adstructa, Regionis situs, validitas ac vis nullibi interpolata aut luxata, ad magna quævis audenda, vel modestum animum propellere possent. Quod si solius Francici Regni tanta sit potentia, ut reverà est, quid futurum pu-

tamus si opulentissimi Belgii accessione augeatur: cuius unius  
ficus ad temperanda Orbis Imperii fræna accommodatus vide-  
tur. Certè renovanda erit Alexandri M. querela, & alius quæ-  
rendus Orbis, ubi Gallorum statuatur trophæa. Sed fortè fru-  
straneus hic metus, melius nos sperare jubent Ministri Gallici,  
qui Belgas tantum peti asserunt, reliquis verò securitatem, lar-  
gâ manu spondent. O cæcas illorum spes, qui his præstigiis de-  
ludi se patiuntur. Syrenum hi cantus sunt, quibus aures obstru-  
endæ. Quam sanctè non ità pridem iidem Gallici Ministri asse-  
veraverint, Belgii fœderati statum non eversum aut mutatum  
iri, saltem de reparatione injuriarum agi, in recenti memoriâ  
est. At nuperis pacis conditionibus, Belgio oblati, tres inte-  
gras provincias, claustra Rhæni, Vahalis & Mosellæ sibi stipu-  
latus est: reliquis non nisi vana libertatis specie relicta, quavis  
tristi servitute durioris. Inania sunt verba, ubi res ipsa loqui-  
tùr. Potentiæ aviditas congenita est mortalibus, ad quam per-  
fas nefasque per præcipitia quoque feruntur. Felicitas præte-  
rea modum nescit, & adeò dulce est omne in reliquos Imperi-  
um, rerumque arbitrium, ut nisi appetitus, quo in illud ferimur,  
substracto alimento, quasi vi coërceatur, nulla unquam e-  
um satietas capiat. Nec Galli reliquis hominibus continentio-  
res, & tantùm abest, ut illorum lateat ambitus, quin potius sole  
meridiano clarius appareat. Patent consilia Henrici IV. ti mo-  
dèrni Regis Avi, quæ quamvis specioso prætextu libertatem pu-  
blicam, & seculi aurei concordiam præ se ferebant, revera ta-  
men rerum Christianarum arbitrium complectebantur. Illi fa-  
tum obstitit præceps quò minus destinata perficeret, at transmi-  
sit illa successione jure ad Nepotem, in quem unum præterea,  
quicquid aliis Majorum suorum vel datum, vel negatum, fata  
contulisse videntur. Quis porò ignorat dogmata scriptorum  
Gallicorum, Auberii, Cassanxi, Anonymi cujusdam Dissertati-  
onem de Pactis Gallos inter Lotharingosque initis & aliorum,  
quibus patrimonium Regum suorum Orbem terrarum asserunt,  
cum-

ESTICA  
A. 4/31